



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

strissima Sua Celsitudine transmissa, (de quorum transmissione ipsamet Commissio mentionem fecit) paucis tamen Dominus Officialis Clerum de eorundem observantia praeemonuit, & de consensu D.D. Deputatorum, publicanda porrexit.

Ad Decretum sextum generale de professione fidei, eam, simulque iuramentum Pastorale emisit Leopoldus Dunwaldt, noviter institutus Pastor in Gersmold. Iuramentum Pastorum, ad Sanctum Vitum & in Glaen constituendorum, reservatum fuit ad proximam Synodum, cum debite nondum praesentati, nec approbati fuerint. Declaratum praeterea, vacare Pastoratum Latensem in Embslandia per liberam resignationem Paris Gabrielis Mannicholt, Conventualis S. Francisci. Praeterea emisit iuramentum consuetum P. Arnoldus

Langenberg, Ordinis S. Benedicti, Pastor in Iburg, & Lector Philosophiae Monasterii Iburgensis, quam noviter à Sua Celsitudine constitutus Decanus Christianitatis illius districtus.

Ad Decretum octavum generale, facta fuit commemoratio animarum, quondam Hermannii Wilagens, Decani Collegiatae Ecclesiae S. Alexandri in Wildeshausen; Conradi Rastrups, quondam Vicarii Cathedralis Ecclesiae; item Davidis Bernings, Vicarii Collegiatae Ecclesiae S. Ioannis; hoc semestri pie defunctorum, commendata quoque fuit anima, non quidem naturaliter, sed civiliter defuncti, Hermannii Rosings, qui, in reprobum sensum datus, à fide & religione apostatavit; ut eam Deus ad gremium orthodoxae Ecclesiae reducere dignetur.

S E Q V V N T V R D E C R E T A S Y N O D A L I A S P E C I A L I A,

Ex mandato Reverendissimi & Illustrissimi Domini Episcopi Osnabrugensis, &c. Domini FRANCISCI GVILIELMI, die VII mensis Octobris, anno M D C LIII, Osnaburgi, in Synodo Autumnali, publicata.

I N G R E S S V S D E C R E T O R V M.

QVandoquidem in nupera Visitatione, per Diocesim hanc Nostram Osnabrugensem, hoc anno quinquagesimo tertio, per Commissarios Nostro nomine facta, diversos adhucdum abusus ac defectus, nec non Statutorum Nostrorum Synodaliū praeviationes apud nonnullos, proh dolor, comperimus: hinc sequentia Decreta, ex sollicitudine Nostra Episcopali, denuo inculcanda duximus, & observanda, sub comminatione respectivè poenarum & Ecclesiasticarum censurarum, etiam in inobedientes ferendarum, seriò ac ultimò demandamus.

D E C R E T V M I.

Nvllus Sacramentum Baptismi, extra casum necessitatis sine licentia, in privatis aedibus administret, Matrimonio assistat, aut in Capella seu loco consecrato, vel ab Episcopo non benedicto aut concessio, sine expressa Nostra, vel Vicarii Nostri in spiritualibus Generalis licentia, celebret.

D E C R E T V M II.

In collatione Sacramenti Baptismi nemo plures quam duos Patrinus admittat; reliquos, uti testes, libro solummodo inscribat. Infantibus item nulla nomina, praeterquam Sanctorum, in Embslandia praesertim, imponantur.

D E C R E T V M III.

Subsellia, in templis noviter erigenda, ita exstruantur, ut in iis genu flecti possit; nec prospectum ad Altare summum impediunt, aut lateralibus nimis vicina sint.

D E C R E T V M IV.

Vbi redditus fabricae pro necessariis Ecclesiae sumptibus non sufficiunt, bono modo, & cum praescripto Magistratus aut Communitatis loci, parochiani ad succurrendum permoveantur: quod si restiterint, Nobis pro congruo remedio, deferantur.

D E C R E T V M V.

Festa & Abstinentiae per annum, tam in civitate quam ruri, accuratius juxta Calend-